



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput IX. a Idem B. Exon. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

NOTÆ.

1. ^a **C**onsentino.) Ita legitur in prima collectione: *sub hoc tit. cap. 9.* Consentia, vel Consentia, hodie *Cossenza* dicta, est civitas Italiae in provincia Brutiae: habuit Cathedralam Episcopalem jam à primis Ecclesiae saeculis, & D. Greg. *lib. 7. epist. 47.* refcribit Palumbo Episcopo Consentiae: refert Carol. à S. Paulo *lib. 1. Geograph. sacr. fol. 60.*
- b *Opere consummato.*) Nam clericis etiam presbyteris opus rurale exercere sacri canones permittunt, ut probavi *in c. 1. de celebr. Missar.*
2. ^c **P**atiaris.) Duplici ratione praesentem Alexandri III. decisionem ait Glossa existimavit in praesenti, quam sequitur Navarrus *in manuali cap. 27. num. 235.* Prima, quia diaconus dabat operam rei illicita, quia ludus clericis cum laicis prohibitus est. *Bellerus disputat. cleric. part. 1. tit. de disciplin. cleric. §. 4. num. 17.* Altera, quia Diaconus non adhibuit diligentiam in damno praevocando, amovendo falcem, non ignarus conditionis ludi; quae ratio magis placet Covar. *in dist. Clement. si furiosus, 2. part. §. 4. num. 8.* Gutierrez *lib. 2. canonic. quest. 6. Pantojae de aleatoribus. ad l. 2. num. 46.* Gibalino *d. confect. 1.* Nectunc obstat extus *in c. lator, se-*

quenti, ubi in simili specie, cum duo clerici in colluctatione decertarent, alter alterum dejecit, & dejector gladio, quem dejectus ad latus portabat, vulneratus occubuit; & nihilominus asserit Pontifex, ad sacros ordines clericum ascendere posse. Pro cuius textus solutione *Glos. in praesenti, Gutierrez supra, num. 124.* Sylvester *in summa verbo Homicidium, Sotus de justit. lib. 5. art. 9.* docent in specie textus *in dist. cap. lator,* clericum dejectum omnem adhibuisse diligentiam, nullamque culpam admittisse; immo clericus percussus in culpa fuit alterum prostercendo. Sed haec solutio facile convincitur ex eo, nam exactiorem diligentiam adhibere poterat clericus ille amovendo falcem. Igitur si eam non adhibuit, manet irregularis. Quare placuit solutio Pantojae *ubi supra,* qui rectè observat, in eo textu non agi de colluctatione in qua sperari posset, ut alter alterum dejiceret, sed potius de ludo: unde extra vorum, & ludi usum lascivientes alter alterum vi dejecit; & cum ira juxta conditionem ludi non teneretur ludens falcem amovere, ideo omnino inculpate processit clericus dejectus, & per consequens nullam irregularitatem contraxit. Quae etiam doctrinam exponendus est textus *in cap. exhibitus, el. 2. hoc tit.*

CAPUT IX.

^a Idem B. Exon. Episcopo.

Lator praesentium nobis viva voce proposuit, quod quadam die, cum casu cum quodam clerico luderet, contigit, quod ille projecit istum ad terram, & ^b cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, & fortuito vulneratus occubuit. Eundem itaque ad vos duximus remittendum, d. v. p. A. f. m. quat. rei veritate comperita, & fuita res se habuerit, & alia iusta causa non impedit, praedictum D. liberè permittatis ad sacros ordines promoveri.

NOTÆ.

1. ^a **B.** Exoniensi.) Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc tit. cap. 10.* id est Bartholomaeo, de quo egi supra *in cap. 7.* Post Concil. Lateranens. *part. 26. cap. 14.* legitur etiam *Exoniensi Episcopo;* & in margine additur *pars capituli*

Tanta: unde cognoscitur in praesenti referri partem textus *in cap. tanta qui filii sint legitimi.*

b *Cultellus.*] Quem deferre potest clericus, quia armorum appellatione non continetur, ut probat Bobadilla *lib. 1. polit. cap. 13. num. 73.* & dixi *in c. clerici arma, de vita & honest. cleric.*

CAPUT X.

Idem Abbati ^a S. Benedicti de Nebia.

SUcepimus literas tuas, & cognovimus ex earum tenore, quod dum lator praesentium in custodiam cujusdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipso in personis affigere, & denudare vestimentis propriis praesumpserunt. In quos isti resumtis viribus insurgentes ligaverunt illos, & detinere usque ad notitiam Capituli voluerunt. Cum autem iste rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris sui custodia dimisisset, & fures se solvere niterentur, frater illos, ne ipse ab eis interimeretur, occidit. Unde quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus, & transitoriis, tam acriter in aliquos exardescere, abstineat iste humiliter ab altaris ^d obsequio, & peccatum suum, quibus modis ad arbitrium tuum potuerit uterque studeat expiare. Constat siquidem eos contra rationem, & mansuetudinem, & ecclesiasticam disciplinam ex utriusque opere interemptos.

NOTÆ